

BALDERICUS DE BOURGUEIL / COSTANTIA  
201.

Perlegi uestram studiosa indagine cartam  
Et tetigi nuda carmina uestra manu.  
Explicui gaudens bis terque quaterque uolumen  
Nec poteram refici singula discutiens.  
5 Ille liber mihi gratus erat, gratissima dicta;  
Ergo, consumpsi sepe legendo diem.  
Nox studiis odiosa meis, inuisa legenti,  
Me cessare meo compulit a studio.  
10 Composui gremio posuique sub ubere laeuo  
Scedam, quod cordi iunctius esse ferunt.  
Si possem cordi mandare uolumina uestra,  
Cordi mandarem singula, non gremio.  
Tandem, fessa dedi nocturno membra sopori,  
Sed nescit noctem sollicitatus amor.  
15 Quid non sperabam? Quid non sperare licebat?  
Spem liber ediderat, otia nox dederat.  
In somnis insomnis eram, quia pagina uestra  
Scilicet in gremio uiscera torruerat.  
O mihi si dabitur tantum spectare prophetam!  
20 O mihi si dabitur colloqui morula!  
O quantum uates, quam preditus iste poeta!  
O quam diuino quaelibet ore canit!  
Quis sapor in dictis! O quae sapientia uerbi!  
O quam discretus iste uir in calamo!  
25 <Et>, reor, in factis est uir discretior iste,  
Omnia prudenter et facit et loquitur.  
Hunc si Roma sibi quondam meruisset alumnum,  
Iste Cato rigidus, Tullius iste foret:  
Hunc facerent uerba Ciceronem, facta Catonem,  
30 Multos iste ualet solus Aristotiles.  
Iste uidetur et est et dicitur alter Homerus;  
O quanta uersus commoditate canit!  
Hystorias Grecae et earum mystica nouit  
Atque quid hec aut hec fabula significat;  
35 Vtque mihi credas, metro mandauit idipsum,  
Adsensus fecit copie multiplices.  
Euaginato Dauid mucrone Goliae,  
Eiusdem uictor perculit ense caput.  
Taliter hic uates adiens penetralia Greca  
40 Gentilesque domos dispoliuit eas;  
Decipulas ensesque suos detorsit in hostes,  
Aduectans nobis carmine gentis opes,  
Inuexit nugas nobis gazasque Pelasgas,  
Ex locuplete penu diripiens spolia.  
45 Quid Mars, quid Iuno, quid cetera turba deorum  
Significent, nouit, nouit et exposuit.  
Si de diuinis insurgat quaestio dictis,  
Nectareo nodos explicat eloquio.  
Immo, quid est, quaeso, quod sensum effugerit  
eius?  
50 Omnia sollerti circuit ingenio.  
Si sermo fiat de formae compositura,  
Impar est tantae camena nostra rei:  
Inter mortales, tanquam flos unicus, ille  
Formosis aliis corpore et ore preest.  
55 Inter caelicolas, ut conspectissima stella,  
Gratior aurora est soleque lucidior.  
O qualis, quantus me carmine significatur!  
Versibus hunc uideo, namque aliter nequeo.  
Ve mihi, cum nequeam quem diligo sepe uidere;  
60 Me miseram, nequeo cernere quod cupio.  
Afficio desiderio precibusque diurnis,  
Incassum fundo uota precesque deo.  
Annus abit, ex quo quem quaero uidere nequiuui,  
Attamen ipsius carmina sepe lego:  
65 O quales uersus, quam dulces, quam speciosos,  
Ad me misit heri perditus ille mihi!  
Hoc iacet in gremio dilecti scedula nostri,

Ecce locata meis subiacet uberibus.  
70 O utinam noster nunc hic dilectus adesset,  
Qui sensum proprii carminis exprimeret; -  
At circumstarent comites mihi uel duo, uel tres,  
Quamuis ipse suae sufficiat fidei;  
Ne tamen ulla foret de suspitione querela,  
Saltem nobiscum sit mea fida soror.  
75 Clara dies esset nec solos nos statuisset  
Hoc fortuna loco, sed magis in triuio.  
Ecce uigil uigilo, quia me liber euigilauit,  
Lectus multotiens, quem mihi misit heri.  
Sed quid ago? Nichil est quod tota nocte uoluto,  
80 Nil est quod rogitto pectore sollicito:  
Ad me non ueniet nec eum sitibunda uidebo,  
Quem nimium tellus Pictaua sollicitat.  
Forsitan idcirco miseram me carmina misit  
Quae me corrigerent, quae mihi uerba darent,  
85 Vt se dissimulet, ut me sua littera fallat,  
Leniat ut nostrum callida carta metum.  
Heu, quid non timeam? Nunquam secunda quiescam;  
Nec mihi tutus amor, nec mihi tuta fides.  
Dum noua dat precepta, mihi plus ipsa fatigor,  
90 Nunquam non possum suspiciosa fore;  
Hunc timeo rapiat, dum nescio, quilibet error;  
Omnis uirgo meis inuidet auspiciis.  
Nulla quidem uirgo me fortunatior esset,  
Si mihi tutus amor tutaque pacta forent.  
95 Firma fides nostrum quamuis mihi firmet amicum,  
Credere non possum tuta suae fidei;  
Nec fidei discredere suae (nichil inde timendum),  
Perdere sed timeo quod uehementer amo.  
Pectore fluctuago deduxi tempora noctis,  
100 Ergo satis licuit multa referre michi.  
En aurora suos producit lucida currus,  
Arbuta iam uolucrum garrulitate sonant.  
Aggrediar ceram quia nescit cera pudorem,  
Que referat domino congrua uerba meo:  
105 Multa quidem scribam quae nolim dicere praesens:  
Virgineos ausus sepe pudor reprimat.  
O utinam placeant quae mens dictabit amantis!  
Carminis oda mei gratificetur ei!  
Ipse iubet, dilecte meus, tu precipis, inquam,  
110 Vt castis operam legibus attribuam.  
Attribuam, sic ipse iubet, sic ipsa preopto,  
Sic hucusque dies disposui proprios.  
Casta fui, sum casta modo, uolo uiuere casta;  
O utinam possim uiuere sponsa Dei!  
115 Non ob id ipsa tamen uestrum detestor amorem:  
Seruos sponsa Dei debet amare sui.  
Tu sponsi seruus, tu frater tuque coheres,  
Tu quoque, tu sponsi dignus amore mei.  
Sponsa sui sponsi uenerari debet amicos;  
120 Ergo te ueneror, te uigilanter amo.  
Ius et lex nostrum semper tueatur amorem,  
Commendet nostros uita pudica iocos.  
Ergo, columbinam teneamus simplicitatem  
Nec mihi pretendas quamlibet ulterius.  
125 Quod si preponis, quod si pretenderis ullam,  
Scito quod non est hic iocus in domino.  
Si fallis, malus es; si uerum dicis, iniquus;  
Obsidet atque tenet crimen utrumque iocum.  
Damnata falsiloquos deus et prae facientes;  
130 Aut hoc aut illud uel simul ambo facis.  
Sed deus emendet, deus in te corrigit ista,  
Haec me cura tui non sinit immemorem.  
Virginis alterius sic nomen abominor ut sim  
Virginis ad nomen frigidior glacie.  
135 Sed, sicut tibi uis credam credamque uolenti,  
Credam dictanti, tu quoque, crede mihi.

Si te Roma uocat, si te Magontia temptat,  
 Si meus es, retrahas mox ab utraque pedem.  
 Vade uiam tutam, petat alter barbara regna;  
 140 Est grauis indomitas poena domare feras  
 Atque tibi digne uix respondere ualebunt,  
 Cum sint indoctae protinus edomitae.  
 Pullos indomitos aliis multi domuerunt;  
 Sic fortasse labor uester inanis erit:  
 145 Si, mihi discredens, incassum forte laboras  
 Subripiatque alter iugera uix domita,  
 Affectus nimio tandem tunc ipse pudore,  
 Ad ueteres sero regrediere uias;  
 Ridebunt alii, sed ego, fidissima semper,  
 150 Planctibus et lacrymis participabo tuis.  
 Ergo, dico tibi: me pretermittere noli,  
 Nullam maioris inuenies fidei.  
 Si potes, et poteris, si tantum uelle uideris,  
 Fac ut te uideam meque uidere ueni.  
 155 Ad te, si possem, pedes aut eques ultro uenirem,  
 Non essent honeri pena pudorque mihi.  
 Venero si potero, uenissem si potuissem,  
 Sed disturbat iter seua nouerca meum.  
 At tu, qui, dominus, nullo custode teneris,  
 160 Quem, quia multa potes, ipsa nouerca timet,  
 Maturato gradus et me uisurus adesto;  
 Sumptus et comites sufficienter habes.  
 Cur ad nos uenias occasio multa paratur:  
 "Ad quem sermo mihi presul in urbe manet,  
 165 Clerus me mandat, abbates, ille uel ille,  
 Me trahit ad comitem res facienda michi."  
 Demens, quem doceo? Me debes ipse docere.  
 Si tibi causa deest, negligis ut uenias.  
 Cura tibi de me non est nisi ueneris ad me,  
 170 Nec tua uel modicus uiscera tangit amor.  
 Hoc argumentum posui mihi si pigritaris,  
 Hoc habeam certum federis inditium:  
 Visere me debes, nescis quo languet morbo,  
 Quo desiderio scilicet affitior.  
 175 Grande tibi crimen nisi paueris esurientem,  
 Oranti si non ipse satisfatias.  
 Exspectate ueni nolique diu remorari.  
 Sepe uocauit te, sepe uocate ueni.

*Donna Costanza (monaca) di Ronceray a Baldrico di Bourgueil*  
 Francia, XII secolo  
 (ed. Baldrici Burguliensis *Carmina*, Hilbert p. 200)

Lessi la vostra carta con esame attento  
 e toccai quelle poesie con mano nuda.  
 Srotolai il volume due volte e tre volte godendo  
 né riuscii a riacquistare le forze  
 discutendo le parole ad una ad una.  
 Mi piaceva quel libro, eran versi bellissimi,  
 e spesso passai le giornate leggendolo.  
 Notte odiosa alle passioni mie, ostile alla lettura,  
 mi costrinse a lasciare il mio studio.  
 Ho messo il tuo foglio nel grembo e sotto il seno:  
 il seno sinistro, dicono sia  
 più vicino al cuore.  
 Se potessi imparare a memoria i tuoi scritti,  
 ogni parola manderei al mio cuore, non nel grembo.  
 Stanca, alla fine cedetti il mio corpo al sopore notturno,  
 ma l'amore inquieto non conosce la notte.  
 Cosa sperare? Cosa non era permesso sperare?  
 Era il libro a creare speranza, era la notte a dare libertà.  
 Ero insonne nel sonno, perché la vostra pagina  
 dentro il mio grembo mi bruciava le viscere.

Oh, se mi concedessero anche solo di guardare il profeta!  
 Oh, se mi concedessero anche solo un istante di colloquio!  
 O che maestro, che poeta dotato!  
 O come è divina la voce con cui canta!  
 Che sapore le parole sue, che discorso sapiente!  
 Che uomo sensato è costui nella penna!  
 Penso che lo sia ancor di più nei fatti,  
 con grande accortezza tutto dice e fa.  
 E se Roma l'avesse meritato come figlio,  
 sarebbe il duro Catone, lui, sarebbe Cicerone.  
 [...]

Come è bello quel che dice di me nei suoi testi,  
 come è nobile: io lo vedo nei versi,  
 in altro modo non posso. Che peccato,  
 non poter vedere ciò che bramo ed amo!  
 Il desiderio mi prende mentre prego, a giorno,  
 e invano effondo implorazioni a Dio.  
 Un anno se ne è andato, senza poter vedere  
 colui che cerco, leggo sempre e solamente i versi.  
 Certo due o tre compagni sarebbero presenti  
 anche se basterebbe da sola la sua correttezza.  
 Nessuno avanzerà dubbi o sospetti,  
 e con me starebbe almeno mia sorella.  
 Chiaro giorno sarebbe, se il destino  
 non ci cogliesse qui, ma per la strada.  
 Ecco veglio, sto sveglia, mi tien sveglia il suo libro:  
 l'ho letto tante volte, mi è arrivato ieri.  
 Ma che faccio? Motivo non c'è  
 perché io mi rigiri tutta notte,  
 non c'è motivo di implorare con l'ansia del cuore,  
 non verrà da me l'uomo che ho sete di vedere,  
 l'uomo che la terra di Poitiers troppo ha stancato.  
 Forse ha mandato le poesie a me che soffro  
 perché le sue parole mi indirizzano,  
 per dissimulare gli inganni della lettera,  
 perché la carta sapiente consoli i miei timori.  
 Ahimè, perché ho paura? Non riposo tranquilla,  
 non è sicuro l'amore, né è sicura la sua lealtà.  
 [...]

Ho paura di perdere colui che tanto amo,  
 e con il cuore in ansia ho percorso la notte.  
 Ma ecco l'aurora conduce lucente i suoi carri,  
 gli arbusti già suonano i richiami degli uccelli.  
 Attaccherò a scrivere, poiché la scrittura non conosce  
 imbarazzo,  
 per dire le parole adatte al mio signore.  
 Molto gli scriverò che non saprei dirgli di persona,  
 le audacie di vergine reprime spesso il pudore.  
 Magari gli piacesse quel che detta un animo d'amante!  
 Gli renda grazie il canto dei miei versi.  
 Tu stesso, amato mio, comandi e ordini  
 di dedicare forze a opere caste.  
 Farò come comandi, lo desidero anch'io:  
 così ho deciso di vivere i miei giorni.  
 Fui casta, sono casta, voglio restare casta:  
 se potessi esser sposa di Dio!  
 Ma non per questo rifiuto il vostro amore:  
 una sposa di Dio deve amare i suoi servi.  
 [...]

Detesto invece il nome di altra vergine,  
 a quel nome son più fredda del ghiaccio.  
 Ma siccome tu vuoi ch'io ti creda,  
 e crederò a chi vuol essere creduto,  
 crederò a ciò che scrivi,  
 e anche tu devi credere a me.  
 [...]

Da te, se potessi, verrei  
 anche a piedi o a cavallo,  
 non sarebbe fatica o vergogna.

Io verrò, se potrò, se potevo venivo,  
 ma crudele megèra disturba l'uscita.  
 E tu invece, signore, non sei chiuso da nessun guardiano,  
 tu che hai molto potere sei temuto anche dalla megèra:  
 dunque affretta i tuoi passi e vieni a trovarmi:  
 hai mezzi a sufficienza, e compagni.  
 Molte son le occasioni di venire da noi:  
 "Un discorso da fare col prete di città,  
 o missioni per conto del clero o di abate,  
 questo o quello mi manda a sbrigare ambasciate".  
 Ma sono pazza, che consiglio a fare?!

Sei tu che mi devi consigliare.  
 Se ti manca un pretesto, se tu che non vuoi venire.  
 Se da me non verrai, non ti sto a cuore,  
 le tue viscere non abita neanche un piccolo amore.

Questo ragionamento ho fatto per la tua pigrizia,  
 ti sia segno certo di patto fedele;  
 mi devi visitare: di non so che malattia  
 sto soffrendo, di non so che rimpianto.  
 Grave colpa è la tua  
 se non dai da mangiare agli affamati,  
 se non soddisfi chi ti sta pregando.  
 Vieni, ti ho atteso tanto,  
 non indugiare ancora.  
 Spesso ti ho invocato,  
 da chi  
 ti invoca  
 vieni.  
 [trad. F.S.]

#### CARMINA RATISPONENSIA

1.  
 Contempnens uuas huius regionis acerbas  
 Vulpes ad campos ibat saturanda Falernos.  
 Vt uenit, placidum dederat iam uinea mustum,  
 Vt rediit, nostras calcator presserat uuas,  
 5 Tandem perdoluit, quia sors utrobique fefellit.  
 Sic ego, dum raras cupio male sanus amicas,  
 His etiam carui, poteram quibus aptius uti.
6.  
 Mittit uestalis chorus ad uos xenia pacis,  
 Concedens uestre dominandi iura caterue,  
 Sic tamen ut precium uirtus sibi reddat honestum.
7.  
 Corrige uersiculos tibi quos presento, magister,  
 Nam tua uerba mihi reputo pro lumine Verbi,  
 Sed nimium doleo, quia preponas mihi Bertham.
9.  
 Mens mea letatur corpusque dolore leuatur  
 Idcirco quia me, doctor, dignaris amare.
16.  
 En ego, quem nosti, sed amantem prodere noli.  
 Deprecor ad Vetulam te mane uenire Capellam.  
 Pulsato leuiter, quoniam manet inde minister.  
 Quod celat pectus modo, tunc reteggit tibi lectus.
17.  
 Prepositus Vetule mandat tibi fausta Capelle,  
 H<emma>, quam primam sibi sors bona fecit amicam.  
 Prima tamen non es, quia duxerat antea bis tres.  
 Septima uenisti supremaque uix placuisti.

19.  
 Prepono reliquis te solam que bene seruis.

22.  
 Hunc mihi Mercurius florem dedit ingeniosus,  
 Quo possim uiciis precibusque resistere fedis.  
 Ius igitur nullus retinet de me quoque stultus.  
 Quos incesta iuuant, consortia nostra relinquunt.  
 5 Qui nostris longe sociis discordat ab ore,  
 In quorum numero si conuerseris, abesto.  
 Vix admittuntur qui rebus mille probantur,  
 Sed tamen hos modice complectimur atque modeste.  
 Denique quis uirtus nostrum uult credere pignus,  
 10 Illos extrema curat bene fingere lima,  
 Vt sermone bono clam crescant atque perito,  
 Moribus egregiis sint undique rite politis.  
 Ergo quam uenias prius ad nos, instrue pennas,  
 Si quas imposuit ratio tibi quando creauit,  
 15 Ne qua parte dolo sis oblitus inueterato.  
 Quem similis morum sibi iunxit fama bonorum,  
 Illi uestalis chorus obtat dona salutis.

25.  
 Quas liuor recoquit, quas gloria nostra perurit,  
 Dicunt murenulas nos ex stagno fabricatas.  
 Verba potest facile patiens animus tolerare,  
 At si pugnabunt, nos Palladis arma iuuabunt.  
 5 Fracturas plumbum quod habet sub arundine fixum  
 Ergo uippereas satagat compescere linguas.

48.  
 Nomine quod resonat, tibi res feliciter addat,  
 Hoc mittens obtat, que bona cuique parat.  
 Cum scriptis oculos subigat tua dextera nostros,  
 † Ne pigram me tibi missa credas †  
 5 Sed quia certa meis non das responsa lituris,  
 Quid scribam dubius non mihi fert animus.  
 Id tantum doleo quod iactas ore proteruo  
 Ex nobis multa noscere te stolidam.  
 Non cure nobis est si quid inutile garris,  
 10 Si laudas etiam, spernimus ut nebulam.  
 Ergo uirgineis fugiat procul ille choreis,  
 Agnis infestus qui solet esse lupus.

49.  
 Vt ualeas animo quamuis irata rogabo.  
 Ipsa re didici mihi diuos insidiari,  
 Nam sub amicitia tu me deludis inepta,  
 Me uerbis, alias opera complexus amicas.  
 5 Quid queror? aduersis mihi fiat quod precor illis:  
 Fert quacumque coma serpentes dira Medusa,  
 Nimphis insiliant, que nunc tua federa temptant.